



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

2da Visitatio. Christus confortat nos se ipso velut cibo ac potu animæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

PRAXIS QUINTA.

*Memoria & cultus amoris septemplex erga nos
Christi Eucharistici.*

Prima Visitatio.

Christus se unit nobis dando se ipsum in Eucharistia.

O Domine JESU, sicut incomprehensibilis est amor tuus erga nos, quod tua divina Majestas se humanæ naturæ conjunxerit; ita & incomprehensibilis est, quod sub specie panis & vini te intra me suscipere, & tam ineffabili modo tecum uniri possim. Desleo frigus meum, quod non melius redamem, toties per diem à te ad creaturas evager. Non id faciam hodie, quia dixisti ore tuo sacrosancto: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Ergo sicut linguam meam in stomachum trajectus mihi incorporaris, & unum mecum efficeris, sic manebis. Da gratiam, ut ita semper maneam in vita & in morte, qui vivis & regnas &c.

2da Visitatio.

*Christus confortat nos se ipso velut cibo
ac potu anime.*

O Domine qui dixisti: *Ego sum panis vivus, qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Non quaero nisi hunc panem tanquam præstantissimum animæ
meæ

meæ cibum , quo confortatus per desertum mundi hujus ambulans perveniam ad montem Dei non jam Horeb ut Elias , sed cælum. Et quia cibus hic divinus *Mors est malis vita bonis*, unde *paris sumptionis utique est dispar exitus*. Cum tua gratia non sumam illum nisi in tua gratia in vita & morte. Et hinc frequenter etiam spiritualiter , vivâ fide, desiderio te fruendi, & corde contrito illum delibo , & modo sumo, qui vivis & regnas &c.

3tia Visitatio.

Christus se ita nobis familiarem exhibendo omnem ad se rapit confidentiam , & vinculo pacis homines in se unit.

O Domine qualis tua benignitas , dulcedo & stupenda familiaritas ! quid est homo, quod ita erga eum apponis cor tuum ? invitas nos, ut veniamus ad te , manducemus te. *Dixerunt viri tabernaculi , quis det te carnibus ejus ?* Et ne terreamur apparitione tremendæ Majestatis tuæ , sub speciebus panis & vini horum quoque sapore relicto instar cibi & potûs suaviter in nos influis ; ut ed magis animemur ad te frequenter sumendum cum summa erga te confidentia , & ut in te nos invicem ut æquales in Cœna magna , quam amor tuus infinitus nobis apparavit , convivamus amplectamur & amemus. O Domine , crescat confidentialis amor erga te , & unio convivarum erga se in te. *Ecclesia tua quesumus Domine caritatis & pacis dona concede, quæ sub oblatiis muneribus [quorum unum*